DE TETANO RECENS NATORUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
A. D. XIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PHIL. BERNARD. IACOB VOSS
STEELENSI-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS
Guil. Eversmann Med. Dr.
Henr. Hoffbauer Med. Dr.
Ludov. Ficker Med. DD.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Friedenreich

AVO SUO OPTIMO

FRIEDER. TERMEER

CONSUL. ET RECEPTOR.

NEC NON

PATRI SUO

CARISSIMO AD CINERES USQUE

COLENDO

FRANC. ANDR. VOSS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

Historia tetani recens natorum.

Graecorum ac Romanorum scriptores, qui multa de tetano inprimis de illo, qui vulnera sequitur memoriae tradiderunt, tetani infantum recens natorum nullam mentionem faciunt, imo nonnullis locis ignorantiam illius produnt [1]) sed in hoc quoque ut in pluribus Aristoteles [2]) exceptione dignus videtur. Apud auctores aevi serioris nonnullae inveniuntur observationes, quibus tetanus recens natorum convulsionis [3]) vel spasmi [4]) nominibus indicari videtur.

Sub finem demum superioris saeculi morbus noster attentius observatus et accuratius descriptus est. Nomina autem quae accepit, haec sunt.

---

1) Aretaei Capp. de causis et signis morborum L. I. C. VI. „Quod ad aetates pertinet, pueri hisce affectibus assidue infestantur, sed ex iis minus moriuntur — juvenes minus, quam pueri tentantur, sed saepius opprimuntur. — 2) Histoire des animaux d'Aristote par Mr. Camus. L. VII. XII. pag. 448. — 3) Ferrarius de arte med. infantum. Brix. 1598. L. III. p. 102. — 4) P. Bayri de medendis hum. corp. malis enchiridion. Basil. 1578. p. 68.

Graecis τετανος a verbo τεινω (extendo) dicitur. Latinis paralysis maxillarum seu tortura oris [1]) convulsio maxillae inferioris [2]) spasmus maxillae inferioris [3]) tetanus maxillae inferioris in infantibus [4]) trismus Balearicus [5]) trismus nascentium [6]) trismus infantilis [7]). —

Germanicis. *Lähmung der Kinnbacken,* [8]) *Erstarrung der Angeln, Erstarrung der Kinder,* [9]) *Halsstarre der Kinder* [10]) *verbundener Mund* [11]) *Mundsperre* [12]) *Mundklemme* [13]) *der Kinder, Wangenweh,* [14]) *Kinbackenschliefsen,* [15]) *Kinnbackenkrampf,* [16]) *Klemmfräsel.*

Gallis. mal de machoire [17]) tetanos des en-

1) Werlhofii opera med. collegit et auxit I. E. Wichmann pars 3 Excerpta a commerci Norico §. 17. — 2) Pollmarus praes. Friederici Cas. med. practicus de convuls. infer. maxillae Jena 1672. — 3) Brendel progr. de spasmo max. infer. infantil. in Opusc. Tom. I. pag. 189. — 4) Joh. Hoferi obs. de tetano max. infer. in infantibus in Act. Helvet. Vol. 1. p. 64. — 5) Sauvages nosol. meth. T. II. p. 11. p. 12. — 6) Cullen synops. nosol. meth. Ed. IV. p. 159. — 7) Ackermann de trismo comm. med. p. 25. — 8) Pollmar. diss. Cap. 1. — 9) *Rosenstein Kinderkrankh. 3. Aufl. p.* 63. — 10) *Zimmermann von der Erfahrung in der Arzneikunst 2. Th. p.* 263 — 11) *Storch Abhandlung von Kinderkrankh. Bd. I. p.* 119. — 12) *Ackermann Abh. v. Trismo. p.* 91. — 13) Ackermann l. c. p. 94. — 14) Coschwitz de gravidarum et puerperarum regimine p. 40. — 15) Coschwitz l. c. — 16) Ackerm. l. c. p. 41 et 95. — 17) Bajon mem. pour servir á l'histoire de Cajenne et de la Guiane françoise T. 1. p. 145.

fans nouveau-nés [1]) catharre [2]) la sarrete [3]) spasme des nouveau-nes. [4])

Italis-Rioma, spasimo de bambini [5]) mal de Tiro. [6])

Hispanis barettas. [7])

Anglis Jaw-falling [8]) Jaw, fall. of infants [9]) opisthotonus and tetany of young children [10]) lockedjaw [11]) convulsion of the lower-jaw in children. [12])

Peruvianis, morbus septem dierum [13])

Hungariis, meredtség-feszes-gorts. [14])

---

[1]) Thibault de Chanvallon, voyage á la Martinique p. 89. — [2]) Barrere nouvelle relation de la France equinoxiale p. 71. — [3]) Sauvages l. c. p. 12. — [4]) Pouppé Desportes histoire des maladies de S. Domingue T. II. p. 157. — [5]) et [6]) Giov. Ver. Zeviani Aletofilo difs. su. le numerose morti dei bambini Veron. 1775. p. 40. — [7]) *Georg Cleghorn Beob. über die epid. Krankh. auf Minorka. Vol. I. p.* 88. [8]) *Chalmer in d. med. Bemerk. u. Unters. einer Gesellschaft von Aerzten in London* 1 *Bd. S.* 82 — [9]) Busch med. *Unters. üb. d. Urs. u. Behandl. des* tetan. in Duncan. med. Comm. Dec. 11 V. 1. p. 187. — [10]) *Hill. Beobachtungen über Veränd. der Luft und Krankheiten auf Barbados.* p. 246. — [11]) Cullen synops. nosol. meth. Ed. IV. — [12]) Cleghorn l. c. p. 73. — [13]) Davolos *in Hufelands neuesten Annalen der französischen Arzneikunde* 1. *B. Leipz.* 1791. *S.* 269. — [14]) Joh. Sztrazsnitz dissert. de tetano Vindob. pag. 3.

Disquisitio historica et decursus tetani.

Silentium plurium auctorum, qui eximia laude de infantum morbis scripserunt, ut Rosensteinii, Amstrongii Harrisii etc. opinionem facile afferre potest: tetanum recens natorum in ipsorum regionibus plane fuisse incognitum, sed rem haud ita se habere, contendere valemus, et, quod omnes, qui de eo tradunt, ejus observandi occasione non caruerunt, et sententia inprimis celeb. Wichmanni [1]) qui utinam eos inquit, qui inter infantum morbos, trismum silentio praetereunt, magis impotentiae artis confessio, quam mali infrequentia desterruisset. — Storchius [2]) Werlhofius [3]) Brendelius [4]) Heisterus [5]) et alii viri clar. [6]) tetanum saepius odservari adseverant. —

Sub Zonis calidis maximeque Americae tropicis morbus hic endemicus et paene epidemicus est, quod Chanvallon [7]) Desportesius [8]) Rainalius [9])

---

1) Werlhof oper. p. 705. — 2) *Storch Kinderkrht. l. c.* „*in meiner Praxi habe zum öftern eine Art von tödlichem Krampf bey neugebornen Kindern angemerkt, der in* spasmo maxillarum *bestanden.* — 3) Werlhof p. 704. frequenter contingit infantibus neonatis. — 4) l. c. p. 190. — 5) saepe vidi maxillae spasmum in infantibus. — 6) Burserius institution. med. pract. Vol. III. p. 206. — 7) p. 89. le tetanos des enfans nouveau-nés est une maladie très ordinaire dans toute la zone torride. — 8) Malad. de. S. Doming. p. 159. — 9) histoire philosophique et politique de deux Indes. T. VIII. pars III. le tetanos emporte (in provincia Louysiana) la moitié des enfans noirs et un grand nombre des enfans blancs. —

et aliī affirmant [1]) — In universum valet hoc axioma, quo propinquius circulis aequinoctialibus eo is morbus frequentior [2]) et quidem infantes non solum Aethiopum, sed etiam Europaeorum invadit [3]) quanquam inter hos rarior est, et facilius praevertitur. — Testibus viris cl. Barrerio [4]) et Bajonio [5]) tetanus recens natorum in parte Gallica provinciae Guianae et inprimis in insula Cajenne multum ad diminuendum hominum numerum valet. — In Hungaria [6]) teste Ackermanno, convulsiones et spasmi infantibus familiarissimi sunt, quod coelum illic fere aeque calidum est, atque in insula Cajenne. — In regionibus temperatis sporadicus solum existit. Germania quoque, praecipue australis, magis quam aliae Europae regiones malo hoc vexata videtur, quod Werlhofius Schneiderus [7]) Ackermannus

---

1) Hillary l. c. — 2) Bajon. l. c. p. 143. u. Hillary. p. 260. 3) Bajon. p. 148. — 4) l. c. p. 70. — 5) memoire sur le tetanos in journal de med. T. XXX. p. 408. „ le tetanos des enfans est si commun dans certains quatiers de Cajenne, que de l'aveu meme de plusieurs habitans à peine réchappet-on un tiers de ceux, qui y naissent: j'en conois meme un. qui ma assuré plusieurs fois que sur dix à douze enfans, qui naissoient sur son habitation, à peine en echappoit-il deux ou trois." — 6) Ackermann. p. 90. — 7) *Schneider (Joseph) Abhandl. über d. Kinnbackenkrampf nengebohrner Kinder nach eigner Beobachtung am Krankenbette. Herborn* 1805. —

Hoferus [1]) uno ore confirmant. — Fuldae tanta vi dominatur, ut Schneiderus Fuldanorum fatum gravius pejusque existimet, quam etiam Aethiopum, attamen saepius occurrit in electoratu Saxoniae [2]) maxime in Voitlandia [3]) in Suevia [4]) Helvetia [5]) Scotia [6]) nec minus in nonnullis Galliae [7]) Hispaniaeque [8]) regionibus. —

Decursus.

Primis solummodo hebdomadibus huic morbo infantes obnoxii sunt, unde coeli deversitas nullam gignit varietatem, scriptoresque de numero dierum non multum discrepant. — Bajonius [9]) Chanvallonius [10]) Chalmerus [11]) Hyacinthus Andreas [12]) Rainalius [13]) Ackermannus [14]) Schneiderus, Hufelandius et Barrerius [15]) periculum solum-

---

1) Hofer l. c. p. 64 — 70. — 2) Pollmar l. c. — 3) Ackermann. l. c. *Vorrede, diese Krankheit ist im Voigtländischen Kreifs sehr häufig und sehr tödlich.* — 4) In Lentil. jatromnemat. theor pract. p. 299. — 5) Hofer in Act. Helv. l. c. p. 65. — 6) Guil. Monro difs. de tetano in thesauro med. Edinburg. novo T. II. p. 338. „In locis Scotiae montanis frequenter accedit." — 7) Sauvages p. 12. — 8) Hyacinthus Andreas prax. med. Gothol. apud Cleghorn. observ. p. 73 „in hac urbe Bachionensi afflictantur plurimi infantes feroci convulsione mandibulae inferioris. — 9) l. c. p. 153. — 10) l. c. p. 90. — 11) l. c. p. 109. — 12) l. c. p. 74. — 13) de provincia Louisiana in histoire phisosophique etc. des deux Indes T. VIII. p. 112. — 14) p. 30. — 15) Barrére de la France equinoxiale p. 72. „on a constam-

modo ad diem usque nonum adesse observarunt. Secundum Cullenium [1]) Werlhofium [2]) Hoferum [3]) etc. trismus ex die XII — XIV. intrare potest.

In insula Domingo vero tenelli ante diem decimum [4]) vel etiam quadragesimum [5]) periculo non vacant. — Ackermannus scilicet tetanum die decimo septimo [6]) imo post sextam hebdomadem exortum [7]) se vidisse affirmat, et Storchius [8]) in infante, qui jam per totum mensem vitam traxerat ortum observavit. Alia vero exempla, quae Ackermannus de infante semestri [9]) et Scheuchzerus de alio, qui jam spatium triginta et octo hebdomadum emensus erat [10]) praebent, limites hic nobis propositi egrediuntur. — Ante tertium

---

ment observé, que les enfans sont plus sujets á ce cruel mal, le trois ou le quatre, jusques même au neuviéme jour apres leur naissance, de sorte que, s'ils passent neuf jours entiers, sans en avoir aucun atteinte, les femmes les croyent hors de danger, et les exposent hardiment á l'air." — 1) Cullen synops. p. 159. „trismus infantes intra duas primas a nativitate septimanas corripit. — 2) l. c. p. 706. morbus contingit infantibus ad aetates diem circiter usque decimum quartum. — 3) Hofer p. 65. T. 1. — 4) Desportes mal. de S. Doming. p. 160. — 5) Starke (J. C.) commentatio theoretico-practica de tetano ejusque speciebus Sect. 2. cap. 8. §. 8. — 6) l. c. p. 93. — 7) p. 31. — 8) *Pelarg. fünfter med. Jahrgang p.* 470. — 9) l. c. p. 95. — 10) *Breslauer Samml. tent.* 29. *Ann.* 1723 p. 97. —

post partum diem tetanus fere nunquam oritur. — Barrerius [1]) se infantes vidisse narrat, qui hoc malo jam afflicti, in lucem editi, mox mortui essent. In nostris regionibus die tertio [2]) quarto [3]) quinto [4]) septimo [5]) octavo [6]) nono [7]) et duodecimo observatus est. [8])

Stadium prodromorum.

Saepe prodromi adsunt, et nonnunquam tetanus nullo antecedente symptomate oritur, quod Schneiderus [9]) et alii commemorant. Prodromi sunt in plurimis casibus abdomen tensum et alvus tumida et plurimum supressa, convulsiones, inquietudo magna, oscitatio frequens apparent: infantes acute vagiunt, interdum cum magno impetu et sine interruptione, oscillatio in musculis faciei, vox sibilans, strabismus, oculi semi aperti, pavores ex somno, in facie rubor et pallor sese invicem excipiunt, dum oculi rigent lachrymis obliti, deglutitio fit laboriosa, quod Brendelius pro certo tetani proegumeno habet [10]) sugitus est diffi-

---

1) l. c. p. 71. — 2) Ackerm. l. p. 33. — 3) Ackerm. p. 36. — 4) *Pelarg. Vierter med. Jahrgang p.* 237. — 5) Büchner Miscell Anno 1717 p. 1727 p. 156. — 6) *Pelarg 3ter Jahrg. p.* 209. — 7) Lentil. Iatromn. p. 297. — 8) Pollmar dissert. 9) l. c. p. 13. — 10) Wencesl. Trnka de Kr'zowitz-Commentar. de tetano §. 17. —

cilis (hoc symptoma vero gravissimum est) infans uberibus accedit et subito cum clamore impetuoso illa reliquit, quamvis maxilla adhuc sine difficultate moveatur, linguae motus est difficilis [1]) et pluribus casibus pedum calcitratio [2]) observabatur.

Tetani symptomata.

Maxilla inferior immobilis restat, fere semper a superiori separata, ut vix linearum aliquot spatium supersit. — Moseleyus adseverat, ambas interdum maxillas per spasmum ita sejunctas esse, ut os pateat; musculi maxillam moventes durissimi et veluti tumidi erant, et spasmus tantam vim exercebat, ut maxilla inferior a superiori nullo modo separari possit: in paucis casibus spasmum Ackermannus per quinque minutas durantem ad aeque longum tempus se subducentem vidit: spasmus brevi tempore non modo in partes externas sed etiam in partes internas propagatur, ita Larreyus [3]) oesophagum et pharyngem valde contractam; Medicus [4]) intestina rigida invenerunt, ut clysmata statim redirent cum tali spastico im-

---

1) *Haase üb. chron. Krankh. Bd. 2. p. 63.* — 2) Schneider l. c. p. 49. — 3) *Auserles. Samml. für pract. Aerzte Bd. 22. p. 15.* — 4) *Samml. u. Beob. aus der Arzneywissenschaft S. 17.* —

petu, ut spumosa et sanguine commixta essent. Sensim spasmus etiam colli musculos et deglutitionis organa attingit et denique pectus coarctat, quapropter sugitus impeditus et res humidae tantum infantulis instillari possunt, sed brevi tempore omnia illis immissa, cum tussi, singultu per nares evadunt, porro linguae immobilitas et deglutitionis difficultas; vox modo clara rauca, modo sibila et plane suppressa est: respiratio saepe velox anhela stertorosa laboriosissima suspiriis intercepta — abdomen durum et tumidum, interdum quoque circumscriptus tumor ad umbilicum observatur: facies rubet tumida et interdum maculis rubicundioribus distincta, quae morte accedente fere semper in toto corpore apparent: oculi rigentes et inflammati videntur, pupilla angusta palpebrae labiaque saepe tremunt: motus convulsionibus similes in tota facie observantur, saepissime etiam spasmus spinam dorsi afficit, hoc modo tetanus partialis in universalem transit, ac fere semper in Opisthotonum, ita ut truncus circulum dimidium retrorsum referat: emprosthotonus vero nunquam adest, saltem nullis ab auctoribus, qui tetanum observaverunt, quidquam de eo dictum est. Pulsus frequens et durus sub finem celerrimus, tetani uuiversalis impetus semper remittuntur, sed in brevioribus interstitiis fortiores et

constantiores revertuntur: omnes corporis partes ipse levissimus tactus dolore afficit, ut nimius contactus paroxysmum atrocissimum inducere possit, imo Hillaryus [1]) spasmos erumpentes se vidisse narrat, si pulsus tantum neonatorum vel vestimenta tacta fuerint. Serius oculi languidi et materia sebacea circumdati sunt, e naribus antea siccis nunc colluvies quaedam lenta stillat, ex ore materia spumosa et mucosa fluit et labiis contortis dentes saepe praeminent, denique dentium stridor aut risus caninus se adjungunt. —

Spasmis in toto corpore sensim in paralyses transgressis, mors appropinquat, accedit maxima virium prostratio, febris, saepe excretiones colliquativae, sudores frigidi viscidi, caput demittitur, maxilla inferior delabitur, foeces et urina sponte egrediuntur, et saepius dum exspirant phlegma ex ore procedit. — Motus omnes sunt sublati, et tum infans aut apoplexia, suffocatione aut convulsionibus epilepticis perit nonnunquam vero sub morbi finem somnus intrat, qui certum mortis signum est. [2]) Morbi decursus sex plerumque vel duodecim horis finitur maxime in regionibus calidioribus [3]) vel et longior est, [4]) rarius ultra

---

1) Hillary l. c. p. 285. — 2) Davalos l. c. — Hippocrates Coac. prbenot. Cap. 12. — 3) Journ. de med. Tom. XXX. p. 409. — 4) *Ackermann p. 42. selten dauert die*

quartum diem [1]) rarissime ultra quintum sextum [2]) octavum vel decimum [3]) extenditur.

Aetiologia.

Nihil certi de morbi nostri causis usque adhuc evictum est, nam opiniones auctorum clarissimorum inter se diversae et contrariae sunt. Ex. gr. Hoferus [4]) Werlhofius [5]) se illum sub conditionibus inter se contrariiis ortum vidisse afferunt — Cullenius veram tetani neonatorum causam inventam esse negat.

Aeris influxus.

Bajonius Hyacinthus Andreas Blanius [6]) in eo conveniunt, quod permagnum ad tetanum efficiendum illi inesse momentum contendunt, et sine dubio in illo eximia causa est quaerenda. Observationibus Bajonius [7]) opinionem super-

---

Krankh, wann sie tödlich ist, über 2 höchstens 3 Tage. — Hofer l. c. p. 65. — 1) Werlhof p. 705. Barrere p. 71. — 2) Monro l. c. p. 333. — 3) Bajon histoir. de Caj. T. 1, p. 156. — 4) l. c. p. 704. — 5) robustus et sanus aeque ac debilis, qui partu felici editus est, haud facilius hunc morbum eludit, quam qui partus difficilis aerumnas perpessus est. — 6) *Gilbert Blane Beob. üb. d. Krankh. der Seeleute, aus d. Engl. Marburg* 1778. *p.* 371. — 7) l. c. p. 147. —

struit, tetanum neonatorum principio salino, quo aer impletus sit, originem referre suam persuasus semper certe observatum est, hunc morbum ad litora saepius quam in regionibus mediterraneis oriri, illi qui in locis altioribus habitant, ideoque ut Bajonius credit, majorem aeris marini influxum sentiunt, tetano frequentius his subjecti sunt; in ea loca vero, quae aut sylvis aut montibus ab aeris maritimi accessu tuta sint, trismum fere nunquam venire — In insula Cajenne saepe morbus prohibetur, si infantes neonati aere intacti per novem dies in cameris inclusi retinentur.

Chanvallonius [1]) Monrous [2]) et plures alii opinioni favent, aerem transpirationem supprimentem tetanum neonatorum efficere, et Bajonius conjectaturam fovet, acidum marinum fere eadem ratione hunc morbum producere. Verisimile est, recensnatos calidis sub Zonis huic causae subjici, praecipue cum Aethiopum infantes omni periculoso aeris influxui, nunc ferventis nunc frigidioris in habitaculis miserrimis committantur [3]) apud nos aer alio modo agere potest, nam nostris regionibus haec propria aeris condi-

---

1) l. c. p. 89. — 2) l. c. p. 338. — 3) Dazielle observ. sur les maladies des Negres T. II. p. 128 le tetanos est souvent chez les enfans qu'ils sont logés dans des maisons mieux fermées, et incomparablement mieux couverts. —

tio nunquam contingit. Heimius [1]) casus duos vidit, quibus mater duos infantes die septimo post partum tetano laborantes morte amisit, quia cunae tali modo locatae erant, ut neonati perflatui expositi essent — Henkius tetanum in neonatis duobus ex lotione aquae frigidae ortum observavit [2]).

Humidus aeris calor etiam tetanum gignere videtur. — Hyacinthus Andr. hoc in quadam Hispaniae provincia invenit, Raynalius [3]) et Daziellius [4]) aeris humiditatem et calores tetani causam nominant. Hoferus [5]) Desportesius [6]) Bajonius [7]) Brendelius [8]) adseverant, tetanum neonatoum in quacunque coeli plaga saepissime aura pluvie humida regnante observatum esse. —

---

1) *Henke Kinderkrankheit.* p. 219. — 2) l. c. p 219. — 3) histoire philos. et polit. des deux Indes T. VIII. p. 112. — 4) observ. sur. les. malad. des Negres T. II. p. 213. — 5) in act. Helv. Vol. 1. p. 66 „temporis respectu hucusque malum hocce frequentius hyeme, aura regnante humida, quam sicca aestate observavi." — 6) malad. de S. Doming. Tom. II. p. 160. — 7) hist. de Cajen. p. 150. „on á observé de tous les temps, que le mal de màchoire et le tetanos des adultes etoient infiniment plus communs lorsque les vents du nord suffloient et que la seule humidité de l'air pendant l'hiver contribuoit beaucoup á rendre cette maladie plus commune." — 8) Brendel opusc. T. 1. p. 190. „morbus hic loci potissimum contingit declinante in ver hyeme." —

Victus neonatorum.

Nihil lacti tam venenosam vim tribuit, quam animi pathemata, praecipue metus horror iraque, quae tam vehementer agunt, ut potentissimis causis adnumerari possint [1]) tamque celeriter, ut e vestigio tetanus subsequi soleat — Ackermannus [2]) Henckius [3]) Trnka [4]) Storchius [5]) Dazillius una hoc ore confirmant. —

Alia lactis corrupti causa in diaeta matris perversa quaerenda est [6]) aut si lac nutricis aetati infantis non respondet, tali ex causa Ackermannus tetani originem deducit. Werlhofius [7]) casum observavit, quo mater sanitate integra tres infantes et omnes die nono tetano laborantes amisit, quartum vero per plures hebdomadas a nutrice lactari jussum servavit.

Angli et Americani. v. c. Chalmerus Hamiltonus [8]) Brendelius [9]) Rushius [10]) sordes gastricas imprimis hoc malum efficere contendunt, ipseque

---

1) *Georg Amstrong üb. Kinderkrankh. und deren Behandl. aus dem Engl. von Sckiffer p.* 42. — 2) l. c. p. 93. — 3) l. c. p. 160. — 4) l. c. p. 38. — 5) *Pelarg 5ter Jahrg. p.* 73. 129. — 6) Hyac. Andr. Cleghorn l. c. p. 73. — 7) oper. p. 706. — 8) *Auserl. Abhandl. B.* 23. *S.* 336. — 9) Trnka §. 66. — 10) *Rush med. Untersuch. und Beob. p.* 274. —

Hippocrates convulsionem aut repletione aut evacuatione oriri asserit.

Saepe oritur aut ex retentione sordium, e meconio retento, vel ex quaedam materia glutinosa, neonatorum intestinis inhaerente: si etiam consueta massa adest, lac vero corruptum. Et tali modo acrimonia gignitur, quae tubum intestinalem fortiter irritat. — Hillarius [1]) meconium retentum et lac in tubo intestinali coagulatum vel alia acria seu indigestibilia alimenta causas hujus morbi in insula Barbados dominantis nominat. Hamiltonus tetanum a sordibus tantum gastricis deducit. Graingerus meconium retentum perfrigerium infantum et spirituosa, eis vita ineunte data, pro causis tetani in India occidentali frequentis habet, eum vero his rebus remotis et lenibus catharticis adhibitis saepe praeversum esse adseverat. Ill. Hufelandius [2]) saepe nostris in regionibus tetanum ab acrimoniis et sordibus oriri narrat. — Rushius [3]) in Jamaica tetanum nunquam vidit, neonatis statim leniter purgatis. Unzer [4]) ex expiatione viarum primarum omnia in neogenitis pendere, quia ejus neglectu atrocissimi dolores et convulsiones oriantur, Starckius [5]) iisdem ver-

1) l. c. p. 250. — 2) *über Blattern etc.* — 3) Duncan med. comment l. c. p. 187. — 4) *med. Handbuch. Leipz.* 1780. *p.* 63. — 5) l. c. p. 2. §. 5. —

verbis narrat, excretiones impeditas meconium in neonatis retentum atrocissimum tetanum inducere affert; Selle [1]) et alii uno ore hoc affirmant. — Lentilius Hoferus Barrerus Desportes etc. ejus non mentionem faciunt, Bajonius [2]) vero rejicit.

Ingestorum nimia vis facile causa efficiens esse potest. Hamiltonus Schneiderus haec inter causas graves nominant.

Alviductionum abusus magni est ad excitandum tetanum momenti, nam si collustrum satis purgavit, nunquam evacuendum esse, aut solum mitissimo modo constat; si vero contrarium videmus, tunc laxantia valde indicata sunt ut hunc morbum praeveniamus.

Causae mechanicae

Vulnera, quae partes tendinosas et articulos occupant; nervi in locis sensibilioribus vellicati seu denudati tetanum produxisse visa sunt [3]).

1) vulnera umbilici, praecipue si sectio, vitiose, brevior facta, ligatura insuper firmior, eo facilius tetanus oritur, ut Schneiderus Davalosius [4]) et Hufelandius [5]) narrant, quia inflammatio exulceratio putrescentia, seu gangraena oritur.

---

1) medic. clinic. Berlin 1781. p. 313. — 2) hist. de Caj. T. 1. p. 136. — 3) *Walters Abhandl. aus dem Gebiet der* pract. medic. p. 229. — 4) Davalos in Hufelands Annal. Schneider p. 19. — 5) *Hufel. üb. Blattern.* —

2) imprudenter facta frenuli linguae solutio [1])

3) vulnera penis — Ackermannus [2]) narrat quendam medicum plures per annos sexies tetanum ortum vidisse, solumque post penis circumsectionem.

4) compressiones, saepe tetanus ex involutione adstrictiori nascitur, nam illo modo hepar conprimitur, quo digestio circulatioque turbatur, haec Osianderus [3]) Schneiderus et alii animadverterunt —.

Causa proxima

In hac, ad nostram usque aetatem varia et permulta, haud parum saepius etiam ridicula a seris inde temporibus verbis scriptis statuta fuere, quorum paucissima attentione digna ratus, adferre nullus dubitavi.

Auctores diversi, diversae sunt de causis tetani opiniones. — Alb ab. Haller principalem causam tetani adsignavit graviorem nervorum irritationem, cerebrum primum et ante omnia in consensum trahentem, deinde in universis musculis convulsionem proginentem. Marherrus flui-

---

1) dissert. de tetano neonatorum vom Nottbeck. p. 51. — 2) l. c. p. 70. — 3) *Denkwürdigk für Heilkunde und Geburtshülfe Bd.* 1. *p.* 242.

dum nerveum causam exitantem tetani adcusat, dicit enim, si fluidum nerveum quacunque de causa in fibrillas musculi alicujus celerius ac proinde fortius influat, quam in reliquos musculos, fibrillas musculi illius fortius irritatas, se contrahere, et sic accidere solere in universis musculis — Cartheuserus causam tetani praecipuam ad ingentem sanguinis densitatem, fervidamque acrimoniam urinoso sulfuream revocari posse arbitratur, Sztrazsnitzky [1]) causam in nervi cujuspiam tensione, sive ab ejus origine versus extremum tractione consistere credit — Aliqui proximam causam in mutatione elementorum ponderabilium tum continua tum chemica eorum nervorum, qui musculis animi imperio obnoxiis inserviunt, consistere dicunt, Proxima tetani causa in inflammatione tunicae vasculosae circa medullam spinalem et altiori gradu in inflammatione ipsius medullae spinalis consistere mihi videtur; haec ex rationibus sequentibus aliquid probabilitatis nancisci videntur —

1) musculi voluntati obtemperantes, quorum nervi maximam partem e medulla spinali et oblongata originem ducunt, prae caeteris nervorum rigore divexantur, cerebrum sensuumque nervi

---

1) l. c. p. 14.

atque gangliorum systema non nisi hoc malo, captis incrementis, obsidentur —

2) plerumque species tetani a motu maxillae inferioris graviori initium facit, deinde musculorum oculi spasmus sequitur, tum malum respirationis organa coercet, et postea ad extremitates se propagat, quippe quarum nervi ut plurimum e medulla oblongata et spinali veniunt. —

3) dispositio: in organismo infantili sensibilitatem nimis auctam et majorem vasorum copiam in medulla spinali cerebro nervisque invenimus quam adultorum, eapropter dispositio magna ad inflammationes. Werlhofius Hoferus Schneiderus [1]) reperiunt, infantibus debilibus tetanum pepercisse, et Walterus [2]) plurimos adultorum tetano laborantes floridos ac robustos bene nutritos juveniles magna irritabilitate sensibilitateque praeditos et ad phlogosim dispositos esse asserit, quod Bilguerus [3]) confirmat. —

4) causae occasionales sunt de illa natura, quae fere semper statum inflammatorium inducere possunt etc. ex innumeris causis remotis ante omnia causae mechanicae, frigus, dies calidae frigidaeque

---

[1]) Schneider l. c. p. 12. — [2]) l. c. p. 221 — 22. — [3]) *pract. Anweisung für Feldwundärzte 1ter Th. Berlin* 1783. —

noctes, aer pestiferis materiis praegnatus, celerrimus caloris frigorisque transitus praecipue in neonatis, qui in utero semper aequo magnoque calore usi, vehementissime tanto ab irritamento affici possunt, nam frigus cutis evaporationem supprimit et nervorum fines circa cutem irritat, commemorandae sunt. —

5) Omnia phaenomena, in rhacheomyelitide observata, invenimus etiam in tetano, semper rhacheomyelitis et tetanus a febre, frigori subsequente calore incipiunt, dolore premente serius valde ardente in medulla spinali et in magnis, e medulla ortis, nervorum ramis; postea sequitur musculorum rigiditas, pulsus frequens durusque, excretionum suppressio, pupilla angusta, et sanguis, e vena fluens, crustam inflammatoriam ostendit. [1])

6) tetani cura; sanguinis missio ab Hippocrate ad nostram usque aetatem magna utilitate usurpata, vide Forestum [2]) Pijolum [3]) Bierlingerum [4]) Connellium [5]) Funckeum [6]) Goelisium item remedia antiphlogistica Venaesection. etc. praeci-

---

1) *Die Rückenmarksentzündung*, inaugural *Abhandlung vom Dr. Michal Funke. Bamberg* 1819. — 2) *Walters Abhandl. B.* 1. *p.* 258. — 3) Journ. de med. Tom. XXVI. p. 225. — 4) thesaur. observation. obs. 56. — 5) Journ. de med. T. XX. p. 335. — 6) l. c. p. 88. —

pue usus mercurii tam internum quam externum valentissimum esse reperit.

7) corpora mortuorum incisa haec ostendunt, musculi subpallidi interdum subcaerulei flaccidi reperiuntur, pulmones cordisque atria sanguine abundant, tunica laryngis atque pharyngis interior interdum rubra apparet: nunc enim vel solae meninges ab inflammatione correptae, crassiores ac fere callosae vel gelatinae albescentis, serique purulenti inter has ipsas aut spinalem medullam collecti haud aequivoca vestigia occurrunt, nunc firmior ac fere dura medullosi visceris consistentia observatur, omnisque medullae substantia rubet, ac innumeris depingitur infarciturque vasis, et inter secandum ex medulla spinali sanguis guttatim promanavit, interdum ex cavo medullae spinalis multum aquae flavidae profluebat: nervorum e medulla spinali oriundorum initia, nervorumque fines partis laesae subcinerea rufa lympha alba illita nonnunquam paulo tumidiores apparent. [1])

---

[1]) Marcus et d'Outrepont vide *Salzburger med. Zeitschrift. Nr.* 34. *p.* 144. — Thomson. ibidem. Nro. 37. p. 22. — Reid ibid. Nr. 61. p. 151. — *Meckel im Archiv. für Physiolog* 1818. — *Pattisier* (*aus dem* Lerauxjournal de medic.) Tom. 38. p. 252 — 57. — Funcke l. c. p. 30 — 50 *fand diese Entzündungssympt. bei* 12 *Leichensectionen, die am* tetanus *starben.* —

Unde satis elucet, morbi naturam in medullae inflammatione consistere, et spasmum modo inflammationis signum sicut delirium in encephalitide adparere, et spasmum, quo vehementior est, eo ardentius inflammationem fervere. — Inter rhacheomyelitidem et tetanum non modo nullam diversitatem invenimus, sed absolutam similitudinem, quod nobis quam diversum esse videtur, est modo in gradu, respectu intensivae et extensivae morbi evolutionis, nam phoenomena in rhacheomyelitide observata in tetano magis evoluta et altiori gradu conspicimus. —

De Prognosi.

Inter omnes fere morbos nervosos, nullus periculosior est, quam tetanus — Veteres [1]) jam tetanum calamitatem inhumanam, malum insanabile appellant — Bajonius [2]) nunquam infantem vidit, qui illum superaverit, Rushio [3]) omnes obierunt — In insula Cajenna tam exitiosus est hic morbus, ut parentes nihil adhibere velint, quia nullum quidquam remedium juvare possit [4]) Moseleyus [5]) insanabilem trismum esse

---

1) Aretaeus l. c. Hippocr. de intern: affect. C. LIV. — 2) hist de Caj. T. 1. p. 156. — 3) *Beob. p.* 274. — 4) Bajon p. 146. — 5) l. c. p. 146. —

perhibet, nisi fortuito sanetur: Chanvallonus [1]) et Currieus [2]) inter multos unum pro se quisque servarunt, sed Barrerus [3]) plures — Hyacinthus Andreas per viginti annos vix sex salvos reddidit [4]) in nostris quoque frigidioribus provinciis tetanus ex illorum observationibus semper [5]) ex horum plerumque [6]) finem in morte assecutus est. Ackermannus [7]) inter novem infantes duos servavit, sed Hoferus [8]) omnes superat, qui tertium semper se sannasse nobis narrat. Heimius [9]) per annos quadraginta nullum recensnatum tetano laborantem morti eripuit. In primo morbi stadio Hillaryus [10]) etiamsi duo jam adfuissent paroxysmi, plures infantes restituit. In primo stadio Hufelandius [11]) Heckerus [12]) et Goelisius salutem haud plane desperandam esse adseverant.

---

1) l. c. p. 90. — 2) l. p. 386. — 3) l. c. p. 73. — 4) Cleghorn l. c. p. 73. — 5) Storch in Buchn. Miscell. A. 1727. p. 155. „*Ich habe noch kein Kind, bei dem dieser* spasmus maxil. *einmal den Anfang gehabt, genesen gesehen.*" — Werlhof op. p. 705. „quotquot correptas vidimus, mortui sunt." — 6) Pollinarus l. c. cap. V. „raro convalescunt recensnati infantes hac convulsione oppressi, sed moriuntur. Heister med. pract. p. 337 „ut plurimum moriuntur infantes ut vix ullum servatum vidi, licet laudatissima remedia nervina et antispasmodica adhibita fuerint." — 7) l. c. *Vorrede.* — 8) Act. Helv. Vol. I p. 68. — 9) Horns Archiv Bd. 10. p. 109. Bd. 3. p. 150. — 10) l. c. p. 245. — 11) *über Blattern* p. 414. — 12) l. c. p. 221. —

Indicia tetani lethalis.

1) Ingesta per nares regurgitantia [1])

2) Si convulsiones tetano superveniente minorem solum remissionem faciunt, exitus est lethalis [2])

3) Sudor viscidus ac frigidus plurimus nisi in calidum roridumque mutetur, certum fere portendit exitium, quo tamen frigidior est sudor eo proprior Charon.

4) Somnus sub morbi finem signum malum praebet [3])

5) decessus spasmorum in paralyses [4])

Crises tetanum solventes

1) Nonnulli [5]) indubium felicis exitussignu m putant, si infantes quinto morbi die adhuc vi vant —

2) Sudor calidus non viscidus, non interruptus frequentissima crisis in tetano —

3) al vus diarrhoica Coo teste convulsiones derepente ortas alvifluxus solvit.

1) Hippocr. Coac. praenot. c. 13. — Ackerm. p. 102. — Trnka p. 156. — 2) Bajon l. c. p. 155. — 3) Hippocr. Coac. praen. c. 12. — Davalos l. c. p. 269. — 4) Trnka p. 249. — 5) Hippocr. de morbis lib. 3. cap. 12 de internis affectionib. c. 55. — Hofer l. c. p. 67. — Brendel l. c. p. 191. —

4) Brendelius ex pluribus inquit unum pusionem natura assertrix servavit, cum accessisset vehementior febris, subortis deinde per omne corpus ulcusculis scabiei instar, et favis per faciem et caput [1])

5) remissiones spasmi maxillae repertinae [2]) aut convulsiones clonicae vehementiores [3]) rarius boni eventus spem afferunt. —

Therapia.

1) Pernecessarium est, meconium statim post partum evacuare, summaque cura id agere, ut lactis secretio ad naturae normam dirigatur. — Optime infantibus conveniunt lenia laxantia ex syr. rhei cum magnes, carbon. etc. Emetica maxima utilitate inventa sunt, nam Amstrongius [4]) Heckerus [5]) perspicuis verbis disserunt, vomitorio saepissime convulsiones et tetanum praecaveri posse. —

2) praecipue curare debemus, ut infans incorrupto et temperato aere fruatur, et velamentis saepe mutatis utatur, ejus prohibitu nonnunquam tetanus avertitur: [6]) ut putredo impediatur, ne-

---

[1]) *Hufeland über Blattern* l. c. — Hillary p. 279. — [2]) Ackerm. p. 101. — Schneider p. 15. — [3]) Trnka p. 249. — [4]) Amstrong l. c. p. 20. — [5]) Hecker l. c. p. 729. — [6]) Moseley l. c. p. 429.

cesse est, funiculum umbilicalem reliquum saepe renovato linteo circumvolvi [1]) aut emplastro tegi oportet, quo etiam Indi morbum interdum prohibent [2]).

3) attentionem magnam umbilico impendere debemus — Bajonus omnem sanguinem, qui inter corpus infantis est, et illum locum, cui ligatura adhibitur, expressit, et hanc operationem repetiit, quamdiu illa pars venae umbilicalis sanguine adhuc repleretur, et funiculus nondum tendini similis albesceret. Bajonus hac industria adhibita per annos quinque, plurimos neonatos hoc malo liberavit [3]) Thion de la Chaume [4]) maxima utilitate et ipse hanc curationem invenit — Davalos [5]) umbilicum quatuor ab initio digitos transversos secari et ligatura haud admodum adstricta excipi jubet.

4) In insula Domingo infantes primis a die natali hebdomadibus in maxillis et temporibus oleo palmae Christi saepius per diem inunguntur [6])

---

[1]) Frank med. Polizey 2. B. p. 188. — [2]) Nottbeck dissert. de tetano neonator. p. 51. — [3]) histoir. de Caj. p. 168. — [4]) *Lind (J.) Vers. über die Krankh. der Europäer in heißen Ländern, aus dem Engl. mit Anmerkungen von Thion de la Chaume p. 297.* — [5]) *Osiander Denkwürd. Bd. 1. p. 243.* — [6]) Desportes l. c. p. 174. — Bajon l. c. p. 172. —

difficile est creditu, hunc externum olei usum tanta polliceri posse. —

5) compressiones totius corporis involutionibus tenellis praecavendae sunt. —

6) balnea inter optima prophylaxeos remedia numeranda sunt. [1])

Tetan. erupt.

α) In cura tetani seu racheomyelitidis, ita, ut in illa omnium inflammationem sequentes indicationes veniunt implendae, prima amotio causarum occasionalium.

β) altera: superatio inflammationis localis, febris omniumque symptomatum illam concomitantium, et effectuum subsequentium sublatio.

γ) justa crisium directio, evacuationumque criticarum promotio.

Cura causarum remotarum.

1) Emetica Brendelius [2]) Ackermannus [3]) Hufelandius illa commendant, praesertim in morbi accessu data, serius minime laudata sunt, Ackermannus in primis ipecacuanhae aliquot grana pro dosi, quia viribus antispasmodicis excellet, sed in

---

[1]) *Hufeland über Blattern*, l. c. — [2]) [3]) Ackermann l. c. p. 190. —

morbi tantum accessu, serius spasmorum incrementum per vomitoria vidit adductum.

Sauvagesius Lentilius et Hoferus ut inutilia rejiciunt vomitoria.

2) *Cathartica* in debellando tetano longe majoris sunt usus, quam paulo prius celebrata emetica, quia canalis intestinalis extensione pluries ventriculum superat, latiorem itaque campum progenerandarum sordium praebet. Est quoque ad tollendas materiales morbi causas et inflammationem diminuendam, natura sua multo aptior quapropter purgantia emeticis plerumque praeferantur, oportet. Hamiltonus [1]) ab iis solum sanationem exspectat, quia semper gastrosin pro tetani causa habet. Trnka [2]) historiam narrat, unde infantem tantum catharticis tetano sanatum esse elucet.

3) Clysmata horum effectus a multis una ore laudatur. Lentilius Hillaryus Chalmerus crebro injici jubent — Hufelandius emeticis clysmatibus et balneis infantibus tribus medicatus est [3]) Ackermannus illis plures infantes morti eripuit [4]). —

4) Diaphoretica si tetanus ex aeris influxu aut perfrigerio ortus, et transpiratio supressa est,

---

1) *Auserles. Abhandl. Bd. 29. p.* 531. — 2) Trnka §. 106. — 3) l. c. *über Blattern.* — 4) l. c. p. 190 —

illa remedia maxima utilitate inventa sunt — Moseleyus in inferiori gradu diaphoretica juvare posse asserit — Bajonius [1]) et Desportesius diaphoretica optima contra tetanum remedia esse sibi persuadent, et prior, se remissionem spasmorum infantibus vehementer sudantibus vidisse affirmat. Hufelandius diaphoretica laudat si crisin morbi hac via intendat natura; Starckius [2]) Trnka [3]) cum eo consentiunt.

Cura specifica.

Quo magis causa proxima latet, quo magis de natura medici dissentiunt, eo majorem diversitatem in curando conspicimus, eo numerosiora remedia ad sanitatem restituendam sunt laudata. Morbo jam praesente methodus illa curandi, quae contra tetanum adultorum hucusque plurimum valuit adhibenda est, nam recensnatis adhibita nullam aliam mutationem recipiat necesse est, quam tenerae aetati et causis occasionalibus, neogenitorum propriis, necessariam: hic quoque adhibenda videtur, ad illum nempe respicio curationis modum, qui contra causas, tetanum producentes, agunt - nam si causa occasionalis frustra debellata

---

1) l. c. p. 157. — 2) l. c. S. 3. cap. 2. — 3) l. c. §. 107. —

est, et tetanus non remittit, tunc ac remedia contra causam proximam transire debemus.

Sanguinis missio in omni aevo ab Hyppocr. ad nostram usque aetatem magna utilitate saepe usurpata est in tetano, Aurelianus affirmat, si vehementes fuerint dolores, erit adhibenda sanguinis missio indicata haec erit: per ipsum morbum, etenim sanguis tempestive detractus, haud raro gravissimos quoque spasmos, vel minuere vel solvere prorsus est visus, hoc una voce confirmant Forestus [1]) Pijolus [2]) Bierlingerius [3]) et Goelisius.

Methodus antiphlogistica eaque generosa, qua nempe exorbitans processus vitalis energia deprimitur, uti in reliquis inflammationibus, ita quoque tetano, inprimis necessaria est, porro, ubi visceris praecipue nobilioris v. c. medullae spinalis phlogosi febris haec incedit, major ut plurimum cruoris copia mittenda est. — In tetano (seu rhacheomyelitide) infantum venaesectiones difficulter ferentium saepius cucurbitulis scarificatis, aut hirudinibus duabus vel tribus ad medullam locus est, quae certe non minus in adultis infracto jam per venaesectiones febris impetu, si partialis subsit inflammatio, loci inflammati vasa egregie deplent, spasmisque ac tensioni, doloribus

---

1) 2) 3) vide caus proxim.

medentur. Si alvi obstructiones adsunt, alvum ducere debemus, nam necesse est, infanti per diem pluries solvatur alvus, quod salibus mediis omninoque antiphlogisticis, quae dicuntur assequi licet: ad id praestant sal mirabile Glaub. kali acetic., nitrum rarius infantibus prodest, quia maxime debilitat; omnia haec remedia post sanguinis emissionem statim adhibenda sunt.

Post sanguinis detractionem in infantum inflammationibus praesertim in tetano seu rhacheomyelitide mercurius maximeque calomelas primum tenet locum: vim resolventem habet, sputa promovet, insuper ad medicamina derivantia pertinet, secretionem in tubo intestinali promovens; effectum vero optimum in hanc nobilem partem exserit, ubi proclivitas ad coagulationes lymphae adest, quum systematis lymphatici auctam actuositatem et resolvendo et derivando optime cohibeat; hydrargyrum, tanta est remedii hujus ad tetanum frangendum vis, tantoque celeritas, ut omnibus aliis remediis anteponendum sit; hujus efficacia in curando tetano plures fide digni viri demonstarunt. Delarochius puellam usu mercur. tum externo tum interno a tetano liberavit. Tissotus [1]) duos sanavit usu hydrarg. mur. mit. interno

---

[1]) Journ. de med. tom. 40. p. 213. —,

terno: hoc una ore confirmant Plenkius [1]) Auenbrugerus [2]) Trnka [3]) Walterus etc. Exper. Goelisius illum bono effectu in tetano neonatorum etiam praescripsit, idemque plures infantes detractione sanguinis, et usu hydrargyri tam interno quam externo morti se eripuisse narrat, remediorum antispasmodicorum autem nunquam bonum effectum observasse. —

Inter unguenta, neapolitanum magnas sibi laudes in tetano debellando comparavit: proficuum, imo saluberrimum fuisse hocce unguentum testatur Donald. Monro [4]) duodecim tetano laborantes frictionibus unguenti neapolitani se sanavisse narrat: non deest Cl. Tissotus, qui hoc remedium pari ratione ad coelum efferat, idemque in pluribus infantibus adhibuerit eventu quidem felicissimo. In longe graviori tetani casu [5]) cum eventu aeque felici frictiones mercuriales a cl. viro Delaroche in usum vocatae sunt. —

Balnea frigida omni tempore in tetano laudata sunt, jamdudum tamen Hippocr. perfusiones aquae frigidae fuerunt usurpatae: Currieus frigidae perfusionem semper in infantum spasmis felici eventu adhibitam esse affirmat [6]) Hegewischius et Funckeus [7]) etiam eorum utilitatem monstraverunt. Moseleyus balneum frigidum potius prophylacticum putat. — Barrerius confirmat, se tetanum saepius in primo stadio sed et in progressu balneo frigido sanasse [8]). In primo stadio

---

1) *Abhandlung der Joseph. Acad. der chir. T. 1. p.* 76. — 2) Trnka l. c. p. 372. — 3) l. c. p. 370. — 4) *Neue Edinb. Versuche Bd.* 3. *Nr.* 30. *davon ein Auszug in den Samml. für pract. Aerzte Bd. 5. Stück 2.* — 5) *Neue Edinburg. Versuche* 3 *Bd. Nr.* 31. — 6) *Aeufserl. Abhandlung. Bd.* 24. *pag.* 333. — 7) *Horns Archiv l. c. Funke l. c.* — 8) Barrere l. c. p. 73. „la precaution la plus sûre pour arrêter le progrés d'un si cruel mal, est d'arroser les mallades plusieurs fois par jour avec de l'eau la plus fraiche qu'on puisse trouver, et sur tout dês le mo-

haud immerito specifici loco habita sunt; serius sine dubio noxia sunt, nam diaphoresis iis turbatur, quae ad dijudicationem criticam valde utilis est. — Bajonius Chanvallonus bonum ab iis effectum nullum viderunt. —

Balnea calida a multis ut necessaria commendantur — Hufelandius et Bajonius ex illis semper spasmorum remissionem viderunt: hoc Ackermannus Cellierus [1]) Schneiderus uno ore confirmant. — Stützius kali adhibuit magna utilitate. Bayrus oleum tepidum ab alto in collum et totum dorsum infantis instillari jussit, quod in quarta quavis horae parte repetitum, tetanum repulsit [2]): eorum utilitas consistit, ut partibus convulsione rigentibus laxitas inducatur et sudores critici proliciantur. —

Nec fomenta et cataplasmata praetereunda censeo, quae ex emolientibus parantur, atque ad partes spasmo adfectas adplicentur. Inter haec fimus equinus calidus haud parvi est momenti; de Haenius finum equinum tepentem forma cataplasmatis musculis maxillae in trismo, cum felici adhibuit successu. — Neque L. B. a Storch eum inutilem pluribus in casibus consultum, expertus est. —

Opium a plerisque in curatione tetani specifici loco habitum est; Whyttius opium inquit cum in Opisthotono tum in trismo tonico est princeps medicina. Hillaryus [3]) etiam exemplum narrat, quo obstetrix audax puero vehemetissimis con-

---

ment que l'on sapperçoit, que les enfans ne peuvent téter qu'avec peine et tque leur mâchoire commence à se serrer. Il faut reiterer ces aspersions, jusques à ceque ces facheux accidens soient dissipés et que les parties du corps ayent repris leur premiere soûplesse. — Les Negresses aujourd'hui, dès qu'elles s'apperçoivent que leurs enfans sont menaçes de la maladie, elles les baignent sans autre façon et les arrosent avec des grands Couyes (espece de grofse ecuelle) pleins d'eau".

[1]) Trnka §. 140. — [2]) Nottbeck diss. p. 57. — [3]) l. c. c. p. 288.

vulsionibus laboranti, magnam tincturae opii dosin dedit, eoque illum sanavit, tali modo ordinavit purgatis primis viis, moschum in parvis dosibus cum nonnullis gutt. C. C. syr. e mecon. et magnes alb. cum vehiculo aquae foenic., si vero spasmi vehementiores fuerunt cuivis dosi gutt. duas tr. thebiac adjunxit — Hufelandius [1]) qui opio in extremis casibus utitur, valde monet, ne opium adhibeatur, priusquam viae primae purificatae sint — Bajonus Hamiltonus Chalmerus Schneiderus Goelisius nunquam quidquid levaminis eo allati viderunt. —

In stadio inflammationis opium ut incitamentum in tetano valde noxium, et modo in morbi exitu, si inflammatio jamjam evanuit, utile — hoc de moscho, castoreo camphora valeriana omnibusque nervinis valet, semper vero illa nervina cum mercurio dulci conjungenda sunt.

CURRICULUM VITAE.

Ego Philipp. Jacob. Bernard Vofs, Steelensis Marcano-Guestphalus, die 13 mens. April. MDCCXCIX natus, patre Franc. Andr. Voss mercatore, matre Wilhelmina Termeer. Iam inde a tenerrima pueritia in oppido natali iis, quae huic aetati tradi solent, litterarum rudimentis imbutus; anno aetatis duodecimo Essendiam petii, ubi in gymnasio linguarum tum veterum tum recentiorum, matheseos et philosophiae studio operam dedi.

Anno MDCCCXVII universitatem Goettingensem testimonio maturitatis munitus ad studia medica inchoanda me contuli, ubi inter cives academicos die XXIX April- relato, per biennium praeceptores mihi fuere celb. Mayer in rebus physicis, cel. Schulz in logice et psychologia cel. Stromayer in Chemia et pharmacia cel. Hempel in osteologia et syndesmologia, cel. Schrader in bo-

---

1) *Ueber Blattern nnd Kinderkrankh. Abth,* 3.

tanice, cel. Langenbeck in anatomia et arte cadavera dissecandi et chirurgia, Ill. Blumenbach in historia naturali et physiologia, cel. Himly in nosologia therapia et materia medica tam generali quam speciali atque ophthalmologia, exp. Krause in materia medica, chirurgica et arte formulas concinandi medicas, cel. Osiander in arte obstetricia tam theoretica quam practica et excercitationibus in machina phantome.

Ineunte Ann. MDCCCXIX Vindobonam profectus sum, ubi lectiones cel. Raimann de pathologia et therapia speciali et clinicum medicum, medicum chirurgicum cel. Hermann, chirurgicum cel. Kern et cel. Zang nec minus clinicum ophthalm. cel. Beer et cursum operationum in hac disciplina, clinicum obstetricium in nosocomio civili universali cel. Boer, et institutum clinicum cel. Goelis qua potui assiduitate frequentavi.

Mense Octobri MDCCCXIX Berolinum profectus, ubi Rectore Magnifico cel. Goeschen die ejusd. mens XV inter cives Academiae receptus, scholis clinicis Ill. Berends, Ill. Gaefe cel. Rust et clar. Neumann interfui.

Peracto hoc studiorum cursu et tentamine medico examineque rigoroso coram Decano spectabili et gratiosa medicorum facultate feliciter absolutis, nihil jam obstiturum spero, quo minus post defensam hancce dissertationem summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Virus syphiliticum urethritidem inducens non aliud est, quam id, quod cancrum efficit.*

2. *Signum certum canceris non habemus.*

3. *Proxima tetani causa consistit in medullae spinalis inflammatione.*